Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2107
Quelle:
Copyright:

lubet plura perſtringere, et primum durum illud *fol.* 15. p. 2. *Merito paſſio ſanctorum Innocentum minus feſtiue* (omittendo videlicet feſta illorum luce *Gloria in Excelſis*, niſi in Dominicam inciderit) *quam aliorum ſanctorum celebratur quia licet martirio coronati fuerint non dum tamen ad gloriam ſed ad infernalem penam deſcenderunt. Nam ante deſcenſum chriſti ad inferos nullus ſanctus ad iſtam gloriam peruenit ad quam chriſtus antiquos ſanctos perduxit. et deinceps ſuos ſequaces perducere non deſinit. Sed quia ipſi in reſurrectione dominica cum reliquis ſanctis liberari et glorificari meruerunt. conuenientiſſime et ipſi iuxta ſolitum ordinem gloriam in officijs cum reliquis ſanctis obtinebunt. ſi natiuitas eorum vſque ad diem reſurrectionis id eſt dominicam peruenerit. Fol.* 54. p. 2. in Paraſceve legitur: *in medio uero monaſterio aptetur et ornetur locus tapetis et purpuris ad repreſantationem crucifixi* &c. quo loco *Monaſterium* pro eccleſia cathedrali (Münſter) capiendum eſt, ut ex antiquo uſu docent Gloſſaria; memorantur enim nobis *fol.* 55. *Canonici*, et *fol.* 57. p. 2. *Decanus*, neque ullum *Paſſavii* Virorum regularium Monaſterium fuit. Ne vero quis dicat, intelligi poſſe D. *Nicolai* Collegium Canonicorum regular. extra Moenia, *fol.* 66. p. 2. Rubrica Feriae III. Rogationum jubet: *Et fiat proceſſio ad ſanctum Nycolaum. Cum uentum fuerit ad ſanctum Paulum* &c. quae parochialis Eccleſia utique inter cathedralem et D. *Nicolaum* interjacet. Directorium itaque noſtrum ipſiuſmet cathedralis Eccleſiae eſt, multoque vetuſtius, quam praeſens ejus Απογραφον. Ita *fol.* 57. Rubrica Sabbati ſancti: *Illud autem de paruulis cauendum eſt, ut poſtquam baptizati fuerint, nullum cibum accipiant, nec lactentur, niſi ſumma neceſſitate cogente antequam communicent ſacramento corporis chriſti, omnibusque diebus in ebdomada paſce ad eccleſiam ueniant et communicent.* Singularis eſt, qui mox ſequitur Ritus Mulierum in Nocte ſacra viſitantium Sepulchrum, item *Johannis* et *Petri.* Quando Populus Clero cantanti reſpondebat, hac phraſi utitur Noſter: *Populus habeat ſuas vociferationes.* Meminit etiam frequentius *Rotarum* praeferendarum cum vexillis et crucibus, quae erant Circuli dependentibus nolulis, vel tintinnabulis agitabiles, ut etiamnum in quibusdam templis viſuntur. Atque, ut concludam: *fol.* 112. de Feſto OO. SS. ita commentatur: Celebratum fuiſſe olim Kal. Maji. *Sed quia in illo menſe non eſt tanta copia victualium illa ſolempnia propter caritatem ciborum non poterant bene quandoque celebrationi vacare, ideo Gregorius minor qui ſeptimus fuit eorum qui eodem nomine vocati fuerunt, hec duo feſta transtulit, ſcilicet apoſtolorum et martirum. Et ea in kalendis nouembris, quando maior eſt copia rerum que neceſſe ſunt victui humano fieri inſtituit,*